

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2048

Auteur(s) : Robert Poulain, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1217, 27 mars

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Robert Poulain, archevêque de Rouen, reconnaît que le roi de France, Philippe-Auguste, peut faire convoquer, par ses baillis, les doyens pour connaître des causes relatives aux patronages des églises en litige, et règle quelques autres questions de la juridiction de l'archevêque.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 251, p. 39.
- b. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXXXIII, p. 174-175.

Texte établi d'après b

Universis Xpisti fidelibus ad quos littere presentes pervenerint, R[obertus], Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopus, in Domino salutem.

Noveritis nos karissimo Domino nostro Philippo, Francie regi illustri, concessisse ut, quotienscumque ballivi sui capitales mandabunt decanis nostris quod ipsi veniant, quislibet illorum, videlicet cum quatuor presbyteris, ad faciendum recognitiones ecclesiarum, de quibus dubitatum fuerit ad quos jus pertineat patronatus, et ad removendos fugitivos ab ecclesiis, secundum usus et consuetudines Normannie, volumus et precipimus quod predicti decani, cum presbyteris, sicut superius est expressum, omni dilatione et contradictione postpositis, veniant ad diem a ballivis domini regis sibi ad hoc faciendum assignatam. Quod si super hoc dificerent, volumus et concedimus quod singuli eorumdem decanorum, pro singulis defectibus, emendam persolvant novem librarum, quas domus leprosororum Rothomagensium habeat sine relaxatione, ita quod nobis vel mandato nostro reddi non poterunt novem libre nisi ad opus dicatorum leprosororum.

Preterea concessimus quod placita Judeorum teneantur in villa Deppe contra homines de Deppa, sicut solent teneri tempore Galteri, archiepiscopi Rothomagensis, et tempore domini regis Philippi, usque modo.

Concessimus etiam, ab amore domini regis, quamdiu nobis placuerit, quod nos vel officialis noster non excommunicabimus capitales ballivos domini regis, domino rege super hoc irrequisito, dantes eisdem quindecim dies de respectu, nisi idem ballivi teneant clericum tonsuram habentem vel catalla ejus, que reddere nollent nobis vel officiali nostro. Et concessimus quod nos inquisitionem factam per episcopos et barones et alios fide dignos super articulo isto in proximo scario Pasche tenebimus et observabimus.

Item, petimus et dominus rex concessit nobis quod inquisitio fiat quales videlicet redditus et quales consuetudines archiepiscopus Galterus habuit in portu Archellarum, ratione foreste Alacris Montis ; et nos, ob amore domini regis, volumus et concessimus quod Haya Archiarum sit immunis ab hujusmodi consuetudinibus, quocumque modo fiat inquisitio.

Item, concessimus, ob amorem domini regis, quod quamdiu ipse vendi faciet grossum et magnum nemus Novi Castri et Luciaci, cum minuto sub eo existente, censarii nostri de Aliermont non ibunt ad vendendum nemus apud Novum Castrum de assensu vel precepto nostro ; et, si irent, nos eos exinde non garantiremus. Et si dominus rex non faceret vendi in boscis Novi Castri et Lutiaci, sicut predictum est, ipsi censarii possent ire per viam antiquam ad vendendum nemus apud Novum Castrum.

Preterea ponimus in bona sufferentia inquisitionem de villa de Dovrenc et de prebendis Gornaii, ita quod, quando domino regi placuerit, faciet inquiri de jure nostro, et inde faciet voluntatem suam.

Actum anno gratiæ millesimo CC^o septimo decimo, vj. kal. aprilis.